



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Christophori || Helvici || In Academia Giessena Quondam  
Do-||ctoris & Professoris, Theologi, Philo-||sophi, Historici,  
Chronologi, Philologi || laudatissimi, Libri || Didactici,||  
Grammaticæ || ...**

**Helwig, Christoph**

**Giessae, 1619**

Grammatica Seu Sermocinatrix, Est Ars Congruæ Loquendi Et Scribendi, In  
Lingua Qua Libet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70031)




GRAMMATICA SEU  
SERMOCINATRIX, EST ARS CON-  
GRUE LOQUENDI ET SCRIBENDI, IN LIN-  
GUA QUALIBET.

*Habet tres partes:*

- I. De Ratione Legendi ac Scribendi.
- II. De Vocum Dignotione.
- III. De Vocum Constructione.

[Quicquid loquimur, vel scribimus, vocibus conficitur & sermo appellatur. Prima igitur pars tractat, qua ratione voces efferantur, legantur & scribantur. Secunda pars agit de eo, quomodo voces dignosci, & à se invicem discerni debeant. Tertia pars, quomodo voces inter se conjungi & coordinari debeant, ut sermo inde conficiatur.]

Prima pars Elementaria, in Libro Elementalī cujusque  
linguæ seorsum exponitur.



PARS SECUNDA.

De Vocum Dignotione.

Duo sunt ad dignoscendas voces necessaria: Earum Accidentia & Species.

[Vocum Accidentia sunt, Communia tria:

- I. VARIATIO, qua vox consideratur juxta variam sui mutationem, ob varios significandi modos.

B

[Ea sor-



[Ea sortitur Speciales appellationes, ut in sequentibus dicitur.]

II. **ORIGINATIO**, qua vox consideratur juxta suam originem. Num fit,  
**PRIMIGENIA**, quæ non aliunde oritur (*nempe in eadem lingua.*) Appel-  
 latur etiam Radix.

**DERIVATA**, quæ aliunde oritur, nempe è primigeniâ.

¶ *Et hæc variatio ex origine, appellatur Derivatio.*

¶ *Vtraq; vox tùm Primigenia tùm Derivata, quando aliis vocibus originem præbet, hoc respectu vocatur Primitiva.*

III. **RESOLUTIO**, qua vox consideratur juxta partes. Num fit,  
**SIMPLEX**, quæ non dividi potest in duas vel plures voces (*ejusdem scilicet  
 significationis.*)

**COMPOSITA**, quæ ex duabus vel pluribus vocibus congesta est, & in  
 eandem resolvi potest.

¶ *Et hæc variatio ex una voce in plures, (seu plurium vocum in unam coalitio)  
 vocatur Compositio.*

Hic etiam considerandum, voces esse vel

**SEPARABILES**, quæ separatim consistere possunt certâ significatione.

**INSEPARABILES**, quæ separatim consistere non possunt, sed semper  
 cum alia voce componuntur.

[Deiis in specie agitur in qualibet lingua.]

*Vocum species sunt tres:*

1. **Nomen**, quo aliquid nominatur.
2. **Verbum**, quo aliquid dicitur agere vel pati, vel esse.
3. **Advocabulum**, quod cæteris adjungitur ad exprimendam aliquam circumstantiam vel animi affectum, aut continuandum sermonem.

[Prioris duæ sunt Primariæ, quia ex illis præcipuè constituitur sermo, & in illis tanquam basi consistit Posterior est Subsidiaria & Administra, quia additur tantum plenioris elucidationis & limitationis gratiâ, ut sermo plene conficiatur & intelligatur.]

*Accidentia vocum Primariarum Propria, sunt duo:*

I. **NUMERUS**, quo vox consideratur, prout unum vel plura distinctè significat. Unde sunt duo Numeri:

**SINGULARIS**, quo res una significatur.

**PLURALIS**, quo res duæ vel plures significantur.

*Etiam ipsa vox appellatur vel Singularis vel Pluralis.*

II. **PER-**



II. PERSONA, qua vox consideratur, prout habet respectum & ordinem ad loquentem. (prout significat Ego, Tu, Ipse, aut Nos, Vos, Ipsi.)

Tres sunt personæ.

PRIMA, quæ loquitur (quæ significat, Ego, Nos, & similes.)

SECUNDA, ad quam loquimur. (quæ significat, Tu, Vos, & similes.)

TERTIA, de qua loquimur. (quæ significat Ipse, Ipsi, & similes.)

Quacung, igitur vox includit Ego, Mei, Mihi, Me, Nos, Nobis, Noster, Meus, est prima persona.

Quacung, includit, Tu, Tui, Tibi, Te, Tuus, Vos, Vestri, Vobis, Vester, est secunda persona.

Cetera omnes sunt tertia persona.

In Formulis Conjugationum Persona etiam ex ipso situ dignoscuntur.

[Speciatim in Lingua Latina & Græca, omnes Vocativi sunt secundæ personæ tantum.]

## N O M E N.

Accidentia Nominis duo sunt.

Casus & Genus.

## C A S U S

est terminatio Numeri specialis. (sic dictus, quia variè cadit ex uno in aliud: vel quia cadit è terminatione primaria.)

Casus pro diversitate Linguarum variant:

In Latina sunt 6.	In Græca 5.	In Germanica 4.	In Hebræa, Chaldaea, Syriaca, nulli sunt proprie dicti.
1. Nominativus	Nominativus	Nominativus	
2. Genitivus	Genitivus	Genitivus	
3. Dativus	Dativus	Dativus	
4. Accusativus	Accusativus	Accusativus.	
5. Vocativus	Vocativus.		
6. Ablativus.			

§ Variatio per Casus appellatur Declinatio.



## Universalis Declinationes,

pro diversitate Linguarum sunt vel plures vel pauciores.

<i>In Latina &amp; In Græca,</i> sunt quinque Declinationes.	<i>In Germanica</i> sunt quatuor.	<i>In Hebræa</i> <i>Chaldaea,</i> <i>Syriaca,</i> sunt duæ.
---	--------------------------------------	--

## G E N U S,

est differentia Nominis juxta sexum.

Pro diversitate linguarum variat:

*In Latina & Græca & Germanica,*  
sunt quinque:

1. Masculinum.
2. Fœmininum.
3. Neutrum.
4. Utrumque.
5. Omne.

*In Hebræa, Chaldaea*  
& *Syriaca,*  
sunt tria:

1. Masculinum
2. Fœmininum
3. Utrumque.

*Cognoscitur ex terminatione primaria in quavis Declinatione.*

¶ Variatio per Genus, appellatur Motio.

Nomen est duplex:

### Substantivum,

quod essentiam significat (*cum quo non potest simul dici, Res.*)

[Sic dictum, quia solum per se in sermone subsistit, ut non opus habeat alio Nominis addito.]

*Est duplex:*

P R O P R I U M, quod uni solùm rei destinatum est.

[Et quamvis sæpe uno Nominis plures res appellentur, tamen id fit per accidens, & manet nihilominus singulis tuum Nomen Proprium, ipsis destinatum. Per cognomen & Agnomen ideo sæpe distinctius restringitur.]

C O M M U N E, quod multis rebus destinatum est.

Adje-



## Adjectivum,

quod essentiam talem significat (*cum quo potest dici simul, Res.*)

[Sic dictum, quod solum per se in sermone subsistere non possit, sed adiciatur alteri Nomini nempe Substantivo.]

*Est itidem duplex:*

COMPARABILE, quod potest comparari seu variari per Gradus.

INCOMPARABILE, quod non potest comparari, seu variari per Gradus.

[Incomparabilia sunt 1. Possessiva, Gentilia, Diminutiva, Interrogativa, Partitiva, Materialia, Numeralia. 2. Pronomina.]

*Gradus sunt tres:*

1. INFIMUS, qui significationem absolute ponit. — ABSOLUTUS.
2. MEDIUS, qui significationem cum excessu extollit. — EXCESSIVUS.
3. SUPREMUS, qui significationem cum transcensu extollit. — TRANSCENSIVUS.

¶ *Variatio per Gradus appellatur Comparatio.*

NOTA. Adjectiva saepe fiunt Substantiva, si nudè ponantur.  
In primis, si sine Substantivo, in Genere Neutro ponantur.

## Appendix de

## PRONOMINE

Pronomen est Nomen vicarium, quod vice Nominis ponitur, in demonstranda aut repetenda re potissimum.

(ut. Ego, Tu, Sui, Ipse, Ille, Is, Quis, Qui, Hic, Meus, Tuus, Suus, Noster, Vester, Cujus, Nostras, Vestras, Cujas.)

*Est sextuplex:*

1. Demonstrativum: Ego, Tu, Sui, Ipse, Ille, Iste, Hic, Is.
2. Relativum: Qui, Is.
3. Reciprocum: Sui, Suus.
4. Interrogativum: Quis, Qui.
5. Possessivum: Meus, Tuus, Suus, Cujus, Noster, Vester.
6. Gentile: Nostras, Vestras, Cujas.

Ex his quadam peculiarem habent modum declinandi, sicut in Formulis Declinationum videre est.



Appendix de  
**PARTICIPIO.**

Participium est Nomen Adjectivum verbale consignificans Tempus. (Est mixta vox e Nomine & Verbo, ex Nomine habet variationem, ex verbo significationem.)

Per omnia sequitur normam Adjectivorum.

Sæpe degenerat in Nomen purum, quando amittit Tempus.

[Significatio penè tota est Verbalis, quare ad verbum rectiùs referretur, nisi variatio terminationum potiùs spectanda esset, operosior quippe & difficilior: Tum etiam Regulis in constructione accommodatior.]

Est vel Temporis,

1. Præsentis.
2. Præteriti,
3. Futuri.

**Irregularia.**

Irregularia sunt quadruplicia:

1. Deficientia.
2. Redundantia.

3. Mutantia.
4. Indeclinabilia

**DEFICIENTIA**, vel Numero. (ut sunt singularia tantùm, Pluralia tantùm.)  
 vel casu, (sive uno, sive pluribus.)

**REDUNDANTIA**, vel casu quæ habent plures Nominativi terminationes,  
 vel Numero (ut Dualia in Hebræa & Chaldaea.)

**MUTANTIA**, vel Genus, vel Declinationem.

**INDECLINABILIA**, quæ nec Numero nec Casu variantur.

**V E R B U M.**

Accidentia verbi duo sunt.

Modus & Tempus.

MO-



## M O D U S

est differentia verbi mixta partim ad loquentis affectus, partim ordinem sermonis indicandum.

Modi pro diversitate linguarum vel sunt plures, vel pauciores.

In Latina & Germanica  
sunt quatuor.

1. Indicativus
2. Subjunctivus
3. Imperativus
4. Infinitivus.

In Graeca sunt  
quinq.

1. Indicativus
2. Potentialis
3. Subjunctivus
4. Imperativus
5. Infinitivus

In Hebraea, Chaldaea Syria-  
ca sunt tres.

1. Indicativus
2. Imperativus
3. Infinitivus.

Ex-Modo, Verbum est vel Infinitum (*Infinitivi modi*) vel finitum (*ex caeteris.*)

## T E M P U S,

[ est differentia Verbi juxta praesens, praeteritum & futurum.

Tempora pro diversitate linguarum vel plura vel pauciora sunt.

In Latina & Germanica  
sunt quinq.

1. Praesens.
4. Praeteritum connexum.
2. Praeteritum (*purum*)
3. Praeteritum antecedens
5. Futurum.

In Graeca sunt  
octo:

1. Praesens
4. Praeteritum connexum.
2. Praeteritum (*purum*)
3. Praeteritum antecedens.
5. Praeteritum infinitum 1.
6. Praeteritum infinitum 2.
7. Futurum 1.
8. Futurum 2.

In Hebr. Chal. Syr.  
sunt tria.

1. Praesens
2. Praeteritum.
3. Futurum.

§ Variatio per Modos & Tempora, appellatur

## Conjugatio.

Conjugationes pro diversitate Linguarum sunt plures vel pauciores.

In Latina  
sunt 4.

In Graeca sunt

5. simplices.
3. contracta
4. diducta.

In Germanica

sunt 2.

In Hebraea

sunt 4.

In Chald. & Syriac.

sunt 3.

Quali-



Quælibet constat duabus Formis. [In Græca, etiam tribus.]

¶ In quolibet verbo sunt certa quædam Tempora primaria, à quibus cætera formantur, eaq; ante omnia observari debent.

### Verbum est duplex:

1. Activum, quod agere significat.
2. Passivum, quod pati significat.

Activum vel actionem significat transeuntem in aliud, & appellatur Transitiveum.

vel significat actionem immanentem in agente, & appellatur Intransitiveum.

¶ Præter hæc sunt Verba, Essentialia dicta, quæ significant Esse.

### Irregularia.

sunt triplicia, Defectiva, Redundantia, Mutantia.

Ad Defectiva pertinent Verba Indeterminata (vulgò Impersonalia) quæ tantùm in tertiis personis variantur, & certam personam non exprimunt.

## ADVOCABULUM.

est triplicis generis.

Circumstantivum, Affectivum, Continuativum.

### I. CIRCUMSTANTIVUM,

significat circumstantiam aut statum aliquem (Loci, Temporis, Quantitatis, Qualitatis &c.)

[Est vel Completum, sine ope vocis primariæ, vel Incompletum, quod vulgò appellatur Præpositio.]

Est multiplex.

Loci; hic, illic, ibi, istuc, hinc, illinc, istinc, inde, huc, illuc, istuc, eò, hæc, illac, istac, ubi, unde, quò, &c.

Temporis; jam, nunc, olim, antea, heri, hodie, cras, mox, citò, semper, nunquam, postea, donec, dum, tunc, antequam, nondum &c.

Quanti-



Quantitatis; *valdè, saepe, iterum, rursus, magis.*

Remissionis; *parum, parumper, ferme, ferè, vix.*

Qualitatis; *sic, ita, sicut, tanquam, velut, multifariam.*

Dubitationis; *fortè, fortasse.*

Affirmationis; *ita, verè, profectò, omninò, certè, sanè.*

Negationis; *non, nequaquam, haud, haudquaquam.*

Prohibitionis; *ne, neu.*

Exclusionis; *præterquam, solùm, tantùm, duntaxat, saltem.*

Comitatus; *unà, simul, pariter.*

Demonstrationis; *en, ecce.*

### Appendix de Præpositione.

Præpositio est vox circumstantiva incompleta, quæ alterius adminiculo indiget ad plenè indicandam circumstantiam.

[ita dicta, quia maximam partem præponitur.]

De iis in qualibet lingua prolixius agitur.

## II. AFFECTIVUM.

Significat affectum seu commotionem animi.

*Est multiplex.*

1. Gaudendi; *evax, id.*
2. Dolendi; *ah, heu, eheu, hei, d.*
3. Ridendi; *ha ha ha, Irridendi, eja.*
4. Lacrumandi; *eheu, heu!*
5. Admirandi; *papa, oh, phy, hem!*
6. Abominandi; *apage.*
7. Approbandi; *euge.*
8. Metuendi; *atat.*
9. Blandiendi; *sodes, sis.*
10. Irascendi; *oh!*
11. Hortandi; *age, agite.*
12. Minandi; *væ.*
13. Vocandi; *heus, eho, ehodum.*
14. Respondendi; *hem!*



15. Exclamandi, *o*
16. Silentium imperandi, *st, pax.*
17. Verberandi, *tax.*
18. Optandi, *utinam.*

---

### III. CONTINUATIVUM,

significat nexum plurium vocum, ad sententia continuationem.

*Est multiplex.*

1. Copulae, *&, ac, atq;, nec, neq;*
2. Conditionis; *si, nisi, ni, siquidem.*
3. Disjunctionis; *aut, vel, ve.*
4. Exceptionis; *praterquam.*
5. Concessionis; *quidem, etsi, etiam si, quamvis.*
6. Adversationis; *tamen, attamen, verum, veruntamen, sed.*
7. Causae; *quia, quoniam, quod, enim, nam, quandoquidem, ut, quum, ne, ideo.*
8. Facti; *quod.*
9. Conclusionis, *igitur, ideo, iccirco, ergo, quare, quocirca.*
10. Electionis, *quam.*
11. Transitionis, *porro, tum, adhaec, deinceps, praterea.*
12. Explanationis, *nempe, videlicet, scilicet, puta.*
13. Explementi, *quidem, sane, nam.*

*Ex his quaedam semper praponuntur, quaedam semper postponuntur,  
quaedam promiscue modo praponuntur, modo postponuntur.*

---

### OBSERVATIO GENERALIS


de Advocabulis.

Multa ad diversas classes referri possunt, pro diverso usu & significatione, ut:

Cum { circumstantivum temporis.  
continuativum causa.  
prepositio &c.

PARS





## PARS TERTIA

### De Vocum Constructione.

Abfolvitur quinque membris.

- |                                |                               |
|--------------------------------|-------------------------------|
| 1. De Constructione in genere. | 4. De Continuatione sermonis. |
| 2. De Constructione in specie. | 5. De Disjunctione sermonis.  |
| 3. De Variatione sermonis.     |                               |

#### Constructio in genere.

Voces primariae ( *Nomen & Verbum* ) constituunt sententiam, seu sermonem. Advocabula autem addunt limites, & circumstantias, ad plenioram intelligentiam & discretionem, ad innuendum affectum, ad continuationem sermonis.

Igitur ad voces primarias praecipue est respiciendum.

Advocabulorum talis est ratio:

1. Circumstantivum additur tam Nomini quam verbo, prout res postulat.  
[ *Frequentius tamen Verbo additur.* ]

¶ *Prepositio, quum sit circumstantivum incompletum, non potest plene circumstantiam indicare, sed ope alterius vocis, praesertim Nominis.*

2. Affectivum vel absolute in sermone ponitur, ( *ab initio frequentius,* ) vel Nomini additur, quod causam affectus aut etiam personam affectam, exprimit.
3. Continuativum praecipue ad Verbum respicit: interdum etiam ad Nomen.

[ *Verbum solum respiciunt, Continuativa, Conditionis, Concessionis, Adversationis, Causae, Conclusionis, Facti.* ]

#### Constructio in specie,

est tripartita;

1. *Convenientiae, quando accidentia vocum congruunt.*
2. *Rectionis, quando accidentia vocum non congruunt.*
3. *Advocabulorum.*

#### I. Convenientiae.

1. *Nomen agens, additur Verbo Activo (Finito) in Nominativo, eodem Numero ac Persona.*

C 2 2. No-



2. Nomen patiens, additur Verbo Passivo (Finito) in Nominativo, eodem Numero ac persona.  
 ¶ *Interdum loco Nominativi ponitur Advocabulum, aut Infinitivus, aut integra sententia.*  
 Imperativus secundæ personæ Vocativum requirit (*quia vocativus est secundæ personæ.*)
3. Adjectivum, si Substantivum describit, cum illo convenit eodem Genere, Numero, Casu.  
 ¶ *Sed Pronomen Relativum, non semper eodem Casu convenit cum precedenti Substantivo. Nam ille Casus respicit sequentem vocem.*
4. Substantivum, si Substantivum describit, convenit cum illo eodem Numero & Casu.  
 ¶ *Etiā eodem Genere, si Motionem admittit. Quod si tūm prius sit Neutrum, adjungitur ei Masculinum.*

## II. Rectionis.

Ea pro diversitate linguarum diversa est. In sequentibus tamen omnes Linguae conveniunt, (*quæ quidem discrimen casuum agnoscunt.*)

1. Nomen agens, si addatur Verbo Passivo, ponitur in Casu Obliquo, cum Præpositione denotante causam agentem.
2. Nomen patiens, si addatur Verbo Activo, ponitur in Accusativo.
3. Nomen, cui aliquid destinatur, attribuitur, accommodatur, derogatur; ponitur in Dativo.  
 [ *Interdum interponitur Præpositio, cum Casu sibi congruo.* ]
4. Substantivum additum substantivo, per modum proprietatis aut possessionis, in Genitivo ponitur.
5. Quando Duo Verba concurrunt, (quorum unum significat Velle, Possesse, Debere, Nolle) alterum ponitur in Infinitivo.

*Cætera speciatim è cujusvis Linguae Constructione petenda sunt.*

## III. Advocabulorum.

Hæc quoque è singulis speciatim petenda est, cum diversa sit. Continuativa tamen, Copulæ, Disiunctionis, Electionis, Explanationis; solent duas pluresve voces eodem Casu aut Modo, connectere.

¶ *Varia-*



### § De Variatione Sermonis.

Unus idemque sermo sæpè pluribus modis efferri potest, atque una sententia diversimodè construi. Id quod tam ad ornatum, quàm ad copiam linguæ in loquendo & scribendo, facit. Fit autem variatio vel ipsarum vocum, vel constructionis solàm. In constructione habet quævis lingua peculiare suas proprietates,

*In genere verò, hæc promiscuè efferuntur.*

1. Participium — & Pronomen Relativum cum Verbo.
2. Nomen — & Pronomen Relativum cum Verbo Essentiale.
3. Verbum Activum — & Verbum Passivum cum Nominativo patiente, cum Nominativo agente & Præpositione cum Nominativo agente. & Accusativo patiente.
4. Continuativum UT — Præpositio AD cum Gerundio (aut Infinitivo.)
5. Continuativum ET cum Verbo — Participium.

### § De Continuatione Sermonis.

Continuatur sermo & connectitur, præcipuè per Continuativa Adverbia, (unde & nomen habent) prout varia eorum significatio rei præsentis congruit. Ideò enim tam varia est, ut delectus inter ea pro quavis rei conditione & sensus exigentiâ, haberi possit. Multa etiam idem significant, ut si opus sit, ornatùs causâ aut tædii evitandi gratiâ variatio possit institui. Sunt tamen & alii modi, continuandi sermonis, ut:

Per Pronomen Relativum.

Per Participium.

Sæpè etiam sermone absoluto, nova sententia immediatè inchoatur absque ulla connexione.

### § De Distinctione Sermonis.

Sicut completus sermo multis membris constat, ita eadem majoris perspicuitatis ac discriminis causâ, per certa intervalla dispescuntur, quæ in loquendo quidem innuuntur morâ, in scribendo autem, signis distinctionum. Atque hæc signa in Elementario cujusque Linguæ, descripta sunt.

F I N I S.

C 3 RESI.





# RESIDUUM

## UNIVERSALIS GRAMMATICÆ,

### de Natura & proprietatibus Linguarum in communi.

#### SERMOCINATRIX

est ars proferendi sensa animi per sermonem.

(sive dictum sive scriptum.)

Seu; ars bene loquendi ac scribendi.

[Sicut autem Locutioni respondet Intellectio;

Ita Scriptioni respondet Lectio, seu recognitio.]

Sermo est nota conceptuum mentis, vocibus comprehensa (vel est Index animi per voces, sive dictas sive scriptas.)

[Quicquid enim loquimur, vel scribimus, Vocibus conficitur.]

Vox est nota conceptus mentis separata. (sive ore pronuntietur, sive figuris scribatur.)

Ejus Materiale, est sonus articulatus. Formale, significatio. Qua quia variè imposita est ab hominibus, hinc varia sunt Lingua, eaq; inter se diversa alia magis alia minus.

#### Accidunt Sermocinatrici in communi:

1. Congruentia & Incongruentia — & hinc consequens.
2. Regularitas & Irregularitas — Analogia & Anomalia.
3. Loquela — Dialectus
4. Peregrinitas — Xenismus { Barbarismus  
Solæcismus.
5. Antiquatio & Novitas — Archaismus & Neoterismus
6. Proprietas & Improprietas — κρυολογία & ἀκρυολογία.
7. Ambiguitas — ἀμφιβολία.

CON-



**CONGRUENTIA** est similitudo plurium vocum aut sermonum inter se, ex qua extruitur communis Regula, velut ex particularibus universale. **INCONGRUENTIA** contra dissimilitudo unius vel aliquot vocum, quæ Regulam impediunt vel limitant.

Hinc oritur **REGULARITAS** & **IRREGULARITAS**; Unde aliqua vox sermone dicitur Regularis vel Irregularis. Nam sicut congruentia est in pluribus, ita Regularitas est in uno.

**LOQUELA** appellatur vocis aut sermonis variatio juxta diversitatem regionis in una lingua (autore Corn. Front.) [Sæpe enim fit, ut pro diversitate regionum una eademque natio non nihil in lingua variet, vel quoad ipsas voces, vel quoad vocum elementa, affectiones, aut constructionem: id est, ut vel habeat peculiare voces cæteris regionibus non usitatas, aut voces easdem quidem habeat cum cæteris communes aliter tamen prolatas aut affectas aut constructas.]

**PEREGRINITAS** est, vocum ex alia lingua illatarum, aut affectionis vel constructionis, ita scilicet ut peregrina origo manifestò remaneat.

[Sunt enim multæ voces ex alia quidem lingua ortæ, sed tamen in suam linguam implantatæ & civitate quasi donatæ, ut pro peregrinis non debeant amplius haberi, veluti apud Latinos Pater, Mater, Fama, Vinum, Mâlum, Pœna &c. è Græca.]

Estque vel in ipsis vocibus tantùm, vel etiam in affectionibus & constructione.

[Huc in specie pertinet Hebraismus, Hellenismus seu Græcismus, Latinismus Xenismus autem quando in vitio ponitur duas species habet, Barbarismus in vocibus separatis, Solæcismus in constructis.]

**ANTIQUATIO** est, quando vox aut vocum affectio aut constructio prisca seculis usitata, progressu temporis in usu esse desinit.

**NOVITAS** contra, quando vox aut vocum affectio aut constructio prisca seculis inusitata, successu temporis in usum introducitur.

[Quod non nisi certis casibus privato concessum est, flagitante scilicet necessitate & præeunte speciali analogia.]

**PROPRIETAS** est, prima significationis impositio.

**IMPROPRIETAS** est, adventitia significationis impositio, (sive à similitudine aliqua, sive ab utro rei, sive aliunde, desumpta.) [Ex hac originem sumit doctrina Troporum in Oratoria.]

**AMBIGUITAS** est, unius vocis in significando varietas.

(sive ex accidenti sive studio illata.)

Ex his patet, Sermocinatricem oriri ex ea parte prima Philosophia, qua agit de Signis seu Notis.



Partes Sermocinatricis sunt duæ:


1. LEXICA seu VOCABULARIA, de vocum significationibus.
2. GRAMMATICA, de vocum elementis, differentiis, coordinatione.

Unde Grammaticæ tres partes oriuntur.

- I. ELEMENTARIA, de vocum Elementis seu principiis, nempe Literis ac Syllabis.
- II. DIGNOTIVA, de vocum differentiis, è quibus dignoscuntur, eorumque Affectiones & Species perspiciuntur.
- III. CONSTRUCTIVA, de vocum coordinatione seu constructione, quæ Sermonem constituit.

¶ Lexica voces omnes, certo quodam ordine dispositas, suppeditat tanquam materiam in quam artifex agat, & ex ea sermonem artificiosè producat. Peculiari libello comprehensa est.

[Naturalis partitio Sermocinatricis, talis est: 1. de Elementis, materialibus vocum. 2. de Significatione, formali vocum. 3. de Dignotione, differentiis & affectionibus significationum in vocibus. 4. de Coordinatione vocum in constituendo sermone. Quia tamen Lexica commodius à Grammatica separatur, libuit nunc vulgatum ordinem retinere.]



## P A R S P R I M A

Grammaticæ

### DE VOCUM ELEMENTIS.

Vocum Elementa sunt, Literæ ac Syllabæ.

#### I. L I T E R Æ.

Litera est elementum vocis incomplexum (seu simplex.)

Litarum figuræ, numerus, ordo, usus, pro diversitate linguarum, sunt diversi.

Literis accidit Irregularitas in Defectu, Redundantia, & Mutatione.

Quæ quia cum Irregularitate Syllabarum convenit, eò rejicitur.

Literæ



Litteræ dividuntur in Vocales & Consonantes.

Vocales,

quæ per se sonum pleum edunt, ut, a, e, i, o, u.

Harum duæ si coalescant, appellatur id Bivocalis, eaque plerumque mixtum sonum exhibet, ut æ, au, eu, ce.

Vocalibus accidunt duo:

1. *Quantitas*, modus pronuntiandi cum differentia moræ. Unde vocales sunt in triplici differentia:

Longæ, quæ cum mora proferuntur.

Breves, quæ sine mora proferuntur.

Communes, quæ utroque modo proferri possunt.

[In quibusdam Linguis peculiaria signa sunt Quantitatis.]

2. *Accentus*, modus pronuntiandi cum differentia elevationis aut depressionis soni.

Estque triplex:

Acutus, qui vocalem pronuntiando elevat.

Gravis, qui vocalem pronuntiando deprimit.

Circumflexus, qui vocalem pronuntiat tractum, incipiendo ab elevatione, & desinendo in depressione.

[In quibusdam Linguis peculiaria sunt signa Accentuum, eaque varia.]

Consonantes

quæ non nisi adminiculo vocalium plenè pronuntiari possunt.

Earum alie sunt.

1. Gutturales	{ qua præcipue for- mantur & pronun- tiantur	Gutturæ	— b
2. Faucales		Faucibus	— c g k j q
3. Palatinæ		Palato	— d n t
4. Dentales		Dentibus	— s x z
5. Labiales		Labiis	— b f m p v w
6. Linguales		Lingua	— l r

D

I. SYL.



## I. SYLLABÆ.

Syllaba est elementum vocis complexum, è litera & accentu.

Est triplex.

Pura, ex unica vocali constans, a, e, i, o, u, y.

Coalita, è bivocali constans, æ, au, ei, eu, œ.

Mixta, è vocali & consonante, vel bivocali & consonante.

[Quarum exempla innumera sunt.]

Ex numero Syllabarum vox est vel.

UNISYLLABA, quæ unicâ Syllabâ constat.

PLURISYLLABA, quæ pluribus Syllabis constat.

Nempè vel Bisyllaba, Trisyllaba, Quadrisyllaba, &c.

Syllabæ accidunt tria:

Quantitas, Accentus, Coordinatio.

[Quantitatem & Accentum habet ex vocali, ut supra dictum.]

## Quantitas.

Ex qua Syllaba est, vel Longa, vel Brevis, vel Communis.

Longa vel naturâ (quæ constat vocali longa aut bivocali) vel positione longâ.

Brevis vel naturâ (quæ constat vocali brevi) vel positione brevi.

Communis, quæ modo longa, modo brevis est promiscuè.

Positio longa est, quando vocalem aut bivocalem sequuntur duæ consonantes.

Positio brevis est, quando vocalem aut bivocalem sequitur alia vocalis aut bivocalis.

[In lingua Latina, si signa Quantitatis in vocalibus usitata essent, brevi compendio ejusque Syllabæ quantitas sciri posset, Et non opus foret tot Regulis de cognoscenda Syllabarum quantitate.

Verbi gratia; a e i o u, vel, æ ei eu; Sicut in lingua Hebræa, ex ipsa vocali, statim Syllabæ quantitas agnoscitur.]

Accentus, ut supra:

Regulæ de Accentibus pro diversitate linguarum diversæ sunt:

Coordinatio

est apta litterarum ad eandem Syllabam pertinentium coagmentatio

& discretio.

Regula



Regula de Coordinatione Syllabarum.

2. Syllabæ ad eandem vocem pertinentes, sunt conjungendæ, ita ut voces singulæ separatim scribantur, relicto inter eas interstitio.

[ In pronunciando verò hoc non observari solet, quamvis artis accurata norma id requirat, in primis quando lingua ignota docetur ac discitur. ]

1. Literæ ita sunt conjungendæ, ut apices sursum eminentes, & pedunculi deorsum prominentes, protrahantur, corpora verò æqualiter in linea correspondeant.

IRREGULARITAS SYLLABARUM

consistit vel in Defectu, vel in Redundantia, vel in Mutatione.

IN DEFECTU.

Ablatio (Aphæresis) — ab initio — am (pro, eam)  
 Intercisio (Syncope) — in medio — audii (pro, audivi)  
 Abcisio (Apocope) — in fine — tun' (pro, tuné)  
 Contractio (Crasis) — duæ Syllabæ in unam — dis (pro, diis)

IN REDUNDANTIA.

Appositio (Prosthesis) — ab initio — gnatus (pro natus)  
 Interpositio (Epenthesis) — in medio — indugredi (pro ingredi)  
 Protractio (Paragoge) — in fine — dicier, (pro, dici)  
 Divisio (Dixeresis) — una Syllabæ à duabus — solvio (pro, solvo.)

IN MUTATIONE.

Correptio (Systole) — correptio Syllabæ longæ — steterunt (pro, steterunt)  
 Productio (Diastrale) — productio Syllabæ brevissimæ — mêlos (pro, mêlos)  
 Permutatio (Antistæchon) — permutatio literæ — olli (pro, illi)  
 Transpositio (Metathesis) — transpositio literæ — i præ (pro, præ)  
 Dislocatio (Tmesis) — transpositio Syllabæ unius vel plurium — quæ me cumque (pro quæcumque, me)

[ Hæ irregularitates, (quas Figuras vulgò vocant) quando & ubi & quo discrimine locum habeant, in specie Syltemata Grammaticæ in quavis lingua ostendunt. ]

FINIS PARTIS

Elementaria.



